17

QUÆSTIO PATHOLOGICA

Pro primâ Apollinari laureâ consequendâ

SUB HAC VERBORUM SERIE

AN MANIA A SANGUINIS RARESCENTIA

PRÆSIDE

D. D. ANTONIO MAGNOL
Professore Regio dignissimo.

Quam Deo favente & auspice Deiparâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis fano, Die mensis Februarii anno 1713. ab horâ octavâ ad meridianam, ANTONIUS JOSEPHUS EMERY Bellocarensis, Artium Liberalium Magister, & jam dudum Medicinæ Studiosus.

MONSPELII;
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum 1713.

PATRI SUO COLENDISSIMO

D. D. ANTONIO EMERY

DOCTORI MEDICO

In æternum amoris, gratitudinis, & obsequii monumentum,

D. D. C.

ANTONIUS JOSEPHUS EMERY Bellocarensis.

QUÆSTIO PATHOLOGICA

AN MANIA A SANGUINIS RARESCENTIA:

MANIAM affectum miserrimum definire consueverunt medici delirium circa plura sine febre ; quibus verbis per quid aliis conveniat, & per quid ab aliis differat designatur. Nam per delirium cum phrenitide simul & melancholiâ convenit, per delirium circa plura discrepat à melancholiâ, & per febris absentiam à phrenitide dicitur esse diversa.

Sed priusquàm causam hujusce affectûs conemur eruere, non nobis videtur alienum, si delirij, & febris quorum hujus absentia, illius verò præsentia, ut signa maniæ pathognomonica allegantur, naturam indagabimus : utpotè quòd si nobis innotuerint, facilius ad illius quod consectamur, assecutionem sternatur iter. Ergò delirium dicemus hunc errorem in judicio in quem inter vigilandum circa object um nulli non notum deliransincidit ; & febris nomine nihil aliud intelligemus quàm eam præternatutalem corporis nostri dispositionem quæ vitiosam & constantem pulsûs frequentiam secum semper adjunctam habet.

Quibus sic præmissis ad ipsius maniæ causam inquirendam Jam nos accingamus, & quoniam ea debet esse quæ duobus supra memoratis signis pathognomonicis satisfaciat, nihil reliquum faciemus diligentiæ, ut si minùs scopum attingamus, desidiæ saltem non possimus insimulari, ut igitur promissis stemus, res paulò altiùs videtur esse repetenda, ut eam vel in ipso fonte, in quo nihil non hauritur melius, rem ipsam hauriamus.

Sanguis in statu naturali numquam fermentescere debet, nec potest. Non potest: quia salia ratione quorum fermentatio fervet, non amplius hæterogenea in perfectè salsa abierunt, quando chylus migravit in sanguinem, quin imò ideò chylus naturalis conversus est in naturalem sanguinem, quia propter luctam quam iniere cum alkalibus acida in salsa degenerarunt:

ſed inſuper fermentare non debet, quia ut dicetur inferius omnis fermentatio in ſanguine à ſtatu naturali receſſum indicat, & fit ipſa morborum cauſa.

Verum plures ſunt in ipſâ fermentatione gradus qui à ſeſe invicem diverſi diverſos morbos inferunt, de quibus omnibus ſermonem facere quia videtur ab inſtituto noſtro alienum ijs ſuperſedendum judicamus de ijs tantùm acturi quorum notitia quod quærimus explanabit.

Tres mihi videntur diſtinguendi gradus remiſſus unus, mediocris alius, & validus alter, de primo, & de poſtremo ſilebimus quòd eos ſemper febris comitetur, cuius abſentia maniam pathognomonicè demonſtrat. Ergò de mediocri inſtituendus ſermo, cùm ille ſolus febrili motu non agitetur, namquè ſi ſanguis ſulphureus fuerit, qualis eſſe ſolet ſanguis melancholicorum adeò ut acidis aëreis particulis præcludatur liber aditus, tùm ipſius lateri infigentur acida ſpicula quæ in interiorem ſubſtantiam adigentur aëre ſuperincumbenre, &deſuper mirum in modum elatere ſuo gravitante. Interim hæc acida ſpicula ſubſequitur aër, qui ſi vel calore, vel motu rareſcat, expandetur, & expantione ſuâ ſpatium quantum? heu ſexcenties capacius occupabit; ſed capacius occupare non poteſt ſpatium quin diſtendantur vaſa quibus ipſe ſanguis continetur: hinc igitur arteriarum ampliatio ibi tantùm ubi rarefactus aër ſeſe ſeu ſua filamenta elaterio ſno ſimùl explicuerit. Si hoc in toto corpore poſſit evenire, eveniet certè in cerebro, & diſtentis carotidibus quid ſubſequetur? ſi quæras, attende.

Quia aër in ſulphureis ſtaminibus implicatus non ſe poteſt extendere propterea quòd à ſuperincumbente comprimitur, ſi pondus illud auferatur, aër inferior fiet ſui juris, ſtamina ſublevabit, celluliſquè ex minimis jam amplioribus factis, jam capacioribus factis, eò majorem obtinebunt arteriæ cavitatem, quò cellularum major evaſerit diametros.

Et indè delirium deducitur, nam ſi interim carotis dextera tumeſcat ex eo quod cruor hac in parte circulans & rareſcens hanc ipſam carotidem ſolitò magis inflaverit, planum eſt ipſam cerebri ſubſtantiam eò majus ſpatium occupatum iri, quò magis carotis intumuerit. At hæc ipſa cerebri ſubſtantia majus hoc ſpatium occupatura debet vel ſurſum elevari, vel deorſum creſcere, vel tandem ad latera extra conſuetos limites protrudi, non poteſt autem nec ſurſum extolli, nec extendi ad latera, obſtat etenim oſſea caſſis, impedimentum potentiæ tali prorsùs incluctabile: Cogitur ergò quò minor, vel nulla fermè opponitur reſiſtentia, confeſtim, & impetè vergere, deorſum deſcendere, ibi debitum augmentum ſuſcipere, & eâ parte eò tantùm tumefieri, quò jam ipſa carotis intumuit.

Verùm quia non poteſt deorſum verſus augeri hæceadem ſubſtantia, quin ex templo commune ſenſorium anguſtetur, ſequitur quod ſpiritus in anguſtiori loco cùm contineri nequeant, eò eâ teneantur velocitatè propelli, quò motûs quantitate, & ipſius determinatione propulſantur; propelluntur autem directè ad oppoſitum, hùc ergò tendere tenentur.

Quòd ſi ſe citò ſanguis expanderit in carotide, citò etiam tumuerit oportet cerebri ſubſtantia, & uno quaſi jctu ſpiritus expulerit ex emporio: qui cùm vivido motu pellantur in oppoſitum, vividè debent in fibras &

regione ſitas irruere, eas ſuccutere, eas vibrare. Quis ignorat ex vibratione fibrarum animam excitari, et quaſi ſopitam expergefieri? Nemo ſanè: exſuſcitatur & ſuccutioue fibrarum duo nectit, duo jungit, judicat. Sed cùm nullus ſit obex, quominus ſpiritus animâ Jubente ad eos deferantur muſculos qui vocis loquelæ inſeruiunt in eos ita diriguntur ut actum animæ veloces enuntient. Hactenus delirium nullum: nulla in judicio diſcordia, diſcrepantia nulla, unus tantùm error ſubeſſe poteſt, ſi nempè perceptionis vitio id affirmet quod nullo modo debet affirmari.

Aſt ſi dum anima pro ſuo quo pollet in corpus imperio, ut prædictum judicium exprimat, tota verſatur; carolis ſiniſtra eandem patiatur rareſcentiam, ad fibras oppoſitas ſpiritus urgere debet, quarum vibratione ideæ aliæ ſuſcitantur, & efformatur aliud judicium, ſi judicium illud ſuis ſignis manifeſtetur, cùm jam primum non omninò fuerit expreſſum, unumquè dumtaxat ſubjectum cum copulâ prolatum fuerit, ſequitur quòd ſi ſubjectum iſtius annectatur piimo, tanquam attributum primi videbitur.

Et quia ſunt hæc judicia in materiâ nulli non notâ, totòq. Cœlo diſcrepant inter ſe atttibutum ſecundi, & ſubjectum primi, quorum illud de iſto nequaquam prædicari poteſt, exurget tertium quod judicium monſtrum informe horrendum ingens cui lumen ademptum, quod delirii nomine circumfertur ab omnibus. Et verò ſi aër in ipſo ſanguine alibi in bullas abeat, ſi in aliquo alio loco turgeſcat arteria, turgebit & quoquè cerebri ſubſtantia, quâ ſemel elevatâ ex emporio ſpititus adigantur oportet. Novam ſuccuſſionem ideæ novæ, novum judicium conſequuntur. Demum hac in re ſi quid ſemel novum, nova ſunt tunc temporis omnia præter modum quo nobis nova videntur, modò unius judicii verbum unum exprimitut, modò exprimitur unum verbum alterius: quæ verba ſi ſemel invicem uniantur, riſum propter ſuam dicrepantiam excitabunt.

Quod de uno aut altero judicio hactenus dictum fuit, hoc idem de pluribus dictum eſto. Non etenim de pluribus quàm de uno, aut altero difficultas intricatior, poteſt ſanguis pluribus in locis validè rarefieri, validè conſequenter pluribus è locis in loca plura ſpiritus excurrent, & modo ſuperiùs dicto ideas excitantes, judicia quoquè, ſit verbo venia, ſeriatim excitabunt, ex quibus error ſi multiplicetur, multiplicabitur & delirium.

Licet ſanguis ſuâ fermentatione rareſcat, non tamen indè colligendum quod febrili motu debeat agitari: nam cùm omnis febris vîtioſam atquè conſtantem pulſûs frequentiam eſſentialiter importet, nemini mirum videri debet, ſi nullam ſibi maniæ conjunctam habeat cùm nulla omninò pulſûs frequentia deſignetur. In illâ ſanguis nec ſolitò celeriùs, nec ſolitò tardiùs totum corpus irrorat, pulſus maniaci, & pulſus hominis ſani quoad frequentiam minimè differunt, & ſi ad hunc tantùm medicus attenderet, ægrotum haberet ut ſaniſſimum, quid igitur, dicer aliquis, ſanguinis fermentatio febrem eſſentialiter arguit? in maniâ, ut patet ex dictis, ſanguis fermentatur, ergò maniam febris ex naturâ ſuâ comitatur vel anteit.

Si ſuperiùs annotata perpendantur, ſoluitur argumentum, & reſponſum facilè: omnis febris fermentationem ex ſe ſemper importat; ſed non

omnis ideò fermentatio febris eſt, requiritur adhuc ut hanc fermentationem ſequatur pulſûs frequentia vitioſa nec-non & conſtans: quæ ſi abſit, abeſt & febris. Hinc videre eſt ſupradicti majorem argumenti propoſitionem eſſe falſam, ut pote quod etiamſi quæ dicat neceſſaria ſint, ſint & adhuc alia neceſſaria, quæ non dicat.

Unus tantùm, ut opinor, hac in re reſtat ſcrupulus amovendus, qui nimirum ſanguis fermenteſcere poſſit, nec tamen vitiosâ & conſtanti pulſûs frequentiâ laborare; ſed non eſt quod moremur diutiùs. Non hic nodus gordianus eſt, cujus ſolutionis causâ eludatur oporteat oraculum quod non poſſet adimpleri.

Sanguis rareſcens majus, uti jam annuimus, ſpatium occupat, capaciorem jam extendit diametrum arteriarum, quæ aërem ſeſe multùm expandentem intra ſulphura protenſa coercent. In omnem ſenſum liquidorum inſtar agitatur ſanguis ipſe liquidus; nec ulla videtur laudanda ratio, cur huic adſcribatur illa pulſûs frequentia, quæ meâ quidem ſententia prorſus aliam cauſam agnoſcit.

Namquè ut fatear id quod res eſt, vel veriùs quod mihi res eſſe videtur, ſola ſpirituum penuria hanc illam pulſûs frequentiam inducit. Quod ſic, ni fallor, evinci poteſt. Micant frequenter, vel infrequenter arteriæ, quia cor frequenter, vel infrequenter contrahitur, frequenter autem contrhitur cor, quia ipſius thalami non fiunt capaciores, quæ minor capacitas minorem etiam ſpirituum copiam atteſtatur, quibus validè cor poſſit contrahi, quis neget etenim res aliter hab'tum iri, ſi copioſiores ſpiritus intra ſpirales cordis fibras protruſi fortiter cordis ipſius conum ſurſum attollerent, antequam tota vincatur reſiſtentia, longiùs deſideratur intervallum: nec enim tam citò tam generoſi milites debellantur; aſt ſi pauci tantùm tanto ſucedant impares oneri, brevi conclamatum eſt, à fortiori ſtat victotia & ſpiritus citò devincuntur, ſpirales etenim fibras deorſum altrahit cordis ipſiùs pondus, & ſanguis deſuper per auriculas irruens, conum ipſum cogit inferiùs ejuſdem thalamos mox mox completurus.

Sed unde tàm pauci ſpiritus? tantæ penuriæ quæ cauſa? quæ ratio? fermentatio valida cui febris natales debet, partes ſanguinis huc & illuc turbinatim & vorticosè ſecum abripit, abreptæ velociter partes recrementitiæ colis offeruntur, & quia non eſt ſecernendi ſpatium, auferuntur è colis, & intra maſſam iterum atquè irerum ſimul invicem confuſæ per totum corpus devoluntur, pauci interim, iterum dico, pauci philtrantur ſpiritus, & ſecreti tantùm corporis ſunt robur & vires, num debet igitur hoc langueſcere, ſi illi deficiant.

Et ne dicas hoc à me gratis afferri: ad modum attende quo febris ardor attemperatur, mediana tunditur, ſaphena ſecatur, aperitur jugularis, nec ſemel tantùm, ſed ſemel bis & iterum, prout febris exigit & ægri res. Quid indè? quid? extracta foras larga ſanguinis copia ſubſident venæ parietes, in quos cùm ſæpè ſæpiùs collidat ſanguis ſubſequens, de ſuo tantùm deperdit motu, quantùm collapſis venæ tunicis communicat, communicat autem multùm, multùm igitur deperdit.

Si verò motus ſanguinis aliquatenus deperdatur & lentiùs àbeat, conſequens eſt ut partes ſanguinis quæ eodem motu feruntur, lentiùs quoquè devoluantur, & hinc illa major recrementorum ſecretio repetenda; hinc uberior ſpirituum copia: hinc copioſiores è cerebello in ſpirales, annulares, & cæteras cordis fibras, uno verbo in ipſum cordis muſculum illorum influxus.

Quid mirum poſthac; ſi majorem vim exerentes, majorem etiam contractionem efficiant, quod in maniâ luculenter demonſtratur, præ ſua copia ſpiritus exundant in emporio, confeſtim in omne corpus nervorum canaliculis diſtribuuntur: cor ipſum quàm maximè turget, & pro ſuâ turgeſcentiâ validos cum niſus edat, validè quoquè contrahitur,

Omnes res non naturales poſſunt hunc affectum invehere, ſi ad illum ex temperamento ſit quædam diſpoſitio; nâm aër calidior, quia craſſitiem hanc ſanguinis conciliat, huic etiam morbo ſymbolum ſuum confert. Si aër: hoc & potus liquorum ardentium, hoc motus nimius, vigiliæ pertinaciores idem præſtabunt; quod & ſomnus, & quies, & animi pathemata, licet modo diverſo, tamen efficient.

Ob faciliorem & validiorem fibrarum emporij ſuccutionem, furore quandoquè maniaci rapiuntur,& in obvios quoſquè irruunt: quod ex ſolâ ſanguinis rarefactione deducere non operoſum audacia, pulſus magnus & validus huic etiam rarefactioni ſuos natales debet, & ob prædictam cauſam frigus patiuntur, vigilant incolumes, oculorum ſplendore laborant, & aurium tinnitu, & modo digitis vel pede quaſi ad numerum geſticulantur, modo verò quaſi commoti fortiter ſibimetipſis aures obſtruunt & territi vitant vel hominum aſpectus.

Tot & tanta miraris in uno maniaco ſympthomata, pluribus tamen quaſi totidem ſatellitibus comitatur, aliquando ſpaſmo riget, motibus convulſivis agitatur, & famem quàm diutiſſimè protrahit, obſcenè ſe gerit & loquitur, quot non adderentur ſi omnia non pigeret recenſere! ſed quia omnia hæc à ſanguinis rarefactione tanquâm à fonte ſcaturiunt.

ERGO mania à ſanguinis rareſcentiâ.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciſcus Chicoyneau *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Chaſtelain *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Joannes Bezac.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Deidier.

Doctores Aggregati.

R. D. Heuricus Haguenot.
R. D. Joannes Henricus Haguenot *Patris Coadjutor.*

Doctores Ordinarii.

M. Euſtachius Marcot.
M. Antonius Fizes.
M. Bartholomæus Paſcal.